





1755, 9. b. 166.

DISSESSATIO IN AVGVRALIS

166.

DE  
**LEGIS MOSAICAE  
VALORE HODIERNO** 10

QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

PRAESENTE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO AC CONSULTISSIMO

**D. IO. AVGVSTO HELLFELD**

SERENISS. DVCI SAXO-GOTHANO ET ALTENE. A CONSIL. AVL.  
PROFESS. PANDECT. ORDIN. CVRIA PROV. FACVLT. IVRID.  
ET SCABINAT. ASSESSORE H. T. FACVLT. IVRID.

DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

D. XVII. SEPTEMBR. AN. MDCCCLV.

IN AUDITORIO IRECONSULTORVM

CONTRA DUBIA ERUDITORVM DEFENDET

AVCUTOR

**GEORGIVS GOTTLIEB WAGNERVS**

CIVIT. SANGERHVS. SYNDICVS.



IENAE LITTERIS SCHILLIANIS. 6)

DISSEMINATIO MUNDI LIBRARI

DE  
LEGIS MOSAICAE

VALORIE HODIE RNO

GONZIUSAN ETATRIS ACQUAVITATIS INVIDICIA  
ALIO ITASTRI EXCEPTE ET ALIO COPIA ET ALIO ADOPTA  
D. IO. AUGUSTO HUTTERED

PRO GRADU DECOTRI

IN ACADEMICO FURCOSUM TORNA  
CONTIA DABE RERADITORVM TERRIBUS  
NODOSA

GEORGIAS GOTTLIEB WAGNERAS



LENTA LITTERIS SCRIPITIVINIS





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
DE  
LEGIS MOSAICA<sup>E</sup> VALORE  
HODIERNO.



§. I.

*Generalis Iuris diuisio.*

Ius omne est vel diuinum vel humanum.  
Illud rursus in naturale et positivum  
diuiditur. IUS NATVRALE est, quod  
ex natura humana mediante recta concipiatur ratione.  
POSITIVVM vero vocamus, quod ex arbitrio superioris  
est constitutum.

A

§. II.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. II.

*Ius diuinum posituum naturali non repugnat.*

Vtrumque ius et naturale et posituum diuinum  
vnum enndemque habet auctorem. Dein nempe.  
Sicuti vero a sapientissimo ac perfectissimo omnium  
rerum moderatore omnes imperfectiones et sic quoque  
contradiciones longe sunt remotae; ita quoque  
in eius legibus contradictiones statuere, sumnum esset  
nefas.

ITIUS MOS III. C. E. VALORE

*Sed illud magis determinat.*

Quum igitur ius posituum diuinum iuri naturali contrarium esse nequeat (§. II.) ; illud vel conuenit iuri naturae, vel ea, quae iure naturae non satis sunt determinata, magis determinat. Huiusmodi determinationes, prout VLPIANVS in L. 6. D. de iustitia et iure loquitur, sunt vel addendo vel detrahendo. Additur aliquid iuri naturae per ius posituum, dum ea, quae iure naturae sunt sancta, malis propositis maioribus magis prohibentur, vel praecipiuntur, aut

II. 2

solemnia



DE LEGIS MOSAYICA VALORE HODIERNO. 3

solemnia quaedam in actu expediendo adhibenda praescribuntur. Detrahitur vero legi naturae, vel iubendo actus hominum arbitrio relictos, vel eos interdicendo.

S. IV.

*Id, quod Deus pro statu reipublicae iudaicae sapienter egit.*

Ea prae omnibus populis Iudeorum erat felicitas, ut eorum rempublicam ipse Deus, tamquam rex et princeps, immediate regeret, eamque suis ordinaret legibus. Sicuti vero prudentia legislatoria in eo potissimum se exserit, ut in determinandis naturae legibus rationem habeat status, in quo huiusmodi leges obtinere debent, easque pro genio populi et diuersis status relationibus accommodet; ita quoque supremus et omnium prudentissimus legislator Deus suas pro reipublicae iudaicae statu tulit leges.

¶ *Legis Mosaicae definitio.* Aliud ius positivum diuinum, quam quod in sacro continetur codice, ignoramus. Praeserrim vero hoc spectat LEX MOSAICA, quae est complexus positio-

A 2

positio-

4 DISSERTATIO IN AVGVRALISSE

positionum obligatoriarum a Deo Iudeis per Mosen promul-

gatarum.

obligatorum legi oisv multibz. C. monachus

obligatorum legi oisv multibz. C. monachus

§. VI.

*Legis Mosaicae diuisio in vniuersalem et particularem reuicitur.*

Variae huius legis a ICtis traduntur diuisiones. Et primo quidem legem positivam diuinam vel vniuersalem vel particularem esse adfirmant. Alii vero de existentia legis diuinae vniuersalis dubitant a). Nec sine ratione, si notioni huius legis curate inhaeremus. Est enim ius positivum vniuersale, quod ex arbitrio Dei constitutum omnes omnino homines obligat. Duo igitur huius iuris sunt criteria. Primo, vt omnes omnino homines, in quoque terrarum angulo existentes, obliget. Deinde, vt ex arbitrio Dei sit constitutum, ideoque ex recta haud cognoscatur ratione, sed de eo ex promulgatione constet, quae, si ius vniuersaliter obligatorium esse debet, vniuersaliter quoque facta sit, necesse est. Iam vero tale ius, in quod haecce cadunt criteria, et cuius vniuersalis exstat promulgatio, non habemus. Nam aliud ius diuinum positivum,

quam

quam quod in sacro codice publicatum legimus, ignoramus. Huius vero codicis nunquam facta est promulgatio vniuersalis, et inde quoque vniuersalis legum, in eo existentium posituarum, deficit obligatio. Solummodo Iudeis originarie hic codex est publicatus. Horum vero republika florente nulla fere cognitionis litterarum sacrarum vestigia apud alios obseruamus populos. Notum est, Iudeos purioris religionis arcana sibi ipsis seruasse, contempto cum aliis gentibus vitae et negotiorum commercio. Postquam sacra per Christum sunt purificata, sanctiores Christi nuntii plures quidem regiones permigrarunt, et sacri codicis notitiam ad multos pertulerunt populos; ast quisnam adfirmaret, apostolos omnes terrarum angulos adiisse, et ubique sacra publicasse oracula? Potius nostra aetate multae extant gentes barbarae, iura in sacro codice praescripta positiva plane ignorantis. Harum maiores vel nullam plane acceperunt notitiam sacri codicis, vel si quoque illa ad eos peruenit, posteris illam seruare neglexerunt. Negligentiam vero maiorum posteris in ignorantia viuentibus inuincibili, imputare, summae,

lly 2

A 3

quae

6 DISSERTATIO INAUGURALISI 20

quae in Deo est, bonitati et iustitiae haudi conueniret.  
Hinc deficiente vniuersali publicatione, deficit quoque  
ius vniuersale positivum.

a) Disceptatum est de exceptio huius iuris, cum STEPHANVS CVRCELLAEVS de eis sanguinis inter Christianos libellum in vulgus emitteret. Postea THOMASIVS. Hanc doctrinam magis illustrauit, qui tamen sibi ipse non satis constat. Nam in fundamentis iuris Naturae et Gentium reiicit hanc diuisionem, quam rursus in iurisprudentia diuina probat. Ast ex causis retractionis, quas ipse afferit THOMASIVS, satis patet, cum ius positivum vniuersale forsitan serio haud probasse. Nam in prooemio iurisprudentiae diuinae §. 20. ingenus fatetur: Sine ope legis cuiusdam vniuersalis, quae simul positiva sit, necesse esset, orthodoxas sententias de turpitudine Polygamiae, prohibitio incestus etc. vel miserando more contra adulterarios carundem profittuere, vel abstinere a decisone grauissimarum controversiarum.

THOMASIVS itaque defendit orthodoxyas, quas vocat, doctrinas ideo, quia Deus vniuersaliter easdem determinasse dicitur, et assumit vniuersalitatem huius legis positivae, quia alias orthodoxae doctrinae defendi haud possunt. Hic habes, qui nihil probat, in argumentando circulum,

§. VII.



## VII.

Sunt quidem, qui vniuersalem legum Mosaicarum obligationem ex eo defendunt, quod Deus barbaras gentes ex felicissimis illis regionibus, quas Iudaici adsignauerat, ideo eiecerit, quia secundum leges Mosaicas vitam suam non instituerant; id, quod nullo modo fieri potuisse, si hisce legibus a Mose expositis conuenienter agendi obligatae haud fuissent. Ast paulo adcuratius si quis verba Dei perlegerit; statim quam plurima, ob quae hae gentes expulsae sunt, crimina naturaliter turpia esse videbit a).

Et naturalis haecce actionum turpitudo, quum incolis terrae sanctae ex recta ratione satis esset nota, vt ab huiusmodi criminibus abstinerent, naturaliter erant obligatae. Quod cum secus egerint, ultimus scelerum vindicta Deus iustissima earum extinctione, quam grave sit leges naturales violare, in conspectu Iudeorum demonstrauit.

a) Sunt enim crimina, ob quae Deus barbaras gentes expulsa sunt et quae *Lexit. XX. Deuteron. XVIII.* aliisque locis recen-



recensentur, idololatriæ, scorrationis, adulterii aliorumque scelerum, natura talium, variae ac nefandæ species, de quibus Deus vers. 12. clarissimis verbis dicit: *um solcher Greul willen vertriebt sie der Herr dein Gott für dir her.*

### §. VIII.

*Nec placet perulgata legis Mosaicae in Ceremonialem forensem et moralem diuiso.*

Praeter ea non ignoramus popularem *istam Legis Mosaicae in Ceremonialem, forensem et moralem distinctionem, ast fundamento suo plane destitutam.* Nam et si rectam ab obie~~cto~~ fieri posse distinctionem concesserimus; horum tamen in terminorum explicazione viri iisque eruditissimi ita colliduntur, ut quod nam Mosis praeceptum ad hanc vel illam praesertim moralem legem pertineat, nemo certo definire audeat. Sunt enim leges omnes leges morales.

### §. IX.

*Attamen Legis Mosaicae in naturalem et positivam tolerari potest diuiso.*

Evidem haud negamus in Lege Mosaica multas contineri propositiones, vniuersaliter obligantes. Ast hæc

hae non positiui, sed naturalis iuris sunt. Sic totus Decalogus, nisi tertium fortasse praeceptum aliquid positiui admixtum a) habeat, est iuris naturalis, ideoque vniuersaliter obligans, ac nullus titulus ab eius obligatione homines liberat. Hinc alii legem Mosai-  
cam diuidunt in naturalem et positiuam. Quae diui-  
sio, quamvis non satis curata sit, si recte explicatur,  
tolerari potest.

a) Constat quidem ratione duce vniuenie, quod Deus ab hominibus, negotiorum strepitu vacuis, determinata ratione coli debeat, et quod hominum vires, laboribus exhaustae certo tempore requie opus habcant; Sed, quod ad utrumque septima semper dies destinata sit, nemo, nisi ex sacri codicis praecepto intelligit, ideoque haec tertiae decalogi legis determinatio positiva est.

§. X.

*Dissertationis thema.*

Legem Mosaicam vel naturalem vel positiuam esse ex §. antecedenti discimus. De prioris valore ho-  
dierno in praesentiarum dicere animus non est, quia homines, statim citilem ingressi, et naturam et ratio-  
nem, quae immutabiles sunt, retinuerunt, ideoque

B

de

de vsu eius, quod recta ratio ex natura cognoscit, in statu ciuili dubitari nequit a). De positiva ergo lege diuina eiusque valore hodierno, ut quaedam exponantur, operaे pretium erit.

a) Distingunt quidem Doctores inter ius Naturae permisuum et praeceptuum, et prius per leges ciuiles in re publica mutari posse, statuunt; At sunt haec solummodo eorum, quae ius Naturae hominum arbitrio indeterminata relinquunt, pro ciuitatis salute dererminationes, quae ipsum ius Naturae non immutant. Sic e. g. ius dominia adquirendi, pacta ineundi, est Legis Naturae permisua et potest tamen imperans modos determinare, quibus nec dominia adquiri, nec paeta iniri debeant, pro ut apud Romanos dominium absque traditione haud adquirebatur, nec pacta valebant, nisi causa subfesset ciuilis.

### §. XI.

*et diuisio.*

Lex Mosaica determinat ea, quae iure Naturae non satis determinata sunt (§. III.). Huiusmodi determinationes fieri possunt vel ratione modi, quo Deus a Iudeis coli voluit, vel ratione obligationum a ciubus erga se ipsos vel alios obseruandarum. Si prius oritur Lex Mosaica, ECCLESIASTICA, quam alii

CERE-

DE LEGIS MOSAICAE VALORE HODIERNO. II

CEREMONIALEM dicere malunt. Si posterius, legem vocamus POLITICAM, seu, ut aliis placet, FORENSEM. De vtriusque valore breuiter agere constituimus.

§. XII.

Axiomata.

Ex principiis hactenus expositis, sua sponte sequitur

I. Legem Mosaicam esse diuinam (§. V.)

II. Legem Mosaicam ecclesiasticam Iudeorum esse (§. XI.)

III. Legem Mosaicam politicam mutatis circumstantiis mutari debere (§. III. XI.).

§. XIII.

*Legem Mosaicam retinere consultum est.*

Ex primo paragraphi antecedentis axiomate discimus, omnes Leges Mosaicas sub suis circumstantiis esse sapientissimas. Si ergo nosmet cum Iudeis collatur easdem determinationes in amborum circum-

12 VORRE DISSERTATIO IN AVGVRALIS. 33 34

stantiis colligimus; consultum omnino erit, ut etiam Legem hanc Mosaicam hodie valitaram esse, statuamus.

Quum itaque nefandum Sodomiae scelus iure di-  
vino a) vltimo suppicio notetur; eandem poenam  
noua lege et sapienti ~~conciro~~ in id fanciuerunt legis-  
latores b). Et quum neque hodie alia poena, nisi  
talionis ad coercendos dolosos homicidas, experientia  
teste, sufficere videatur; pari sapientia legem hanc  
Mosaicam: *Qui hominis sanguinem effundit, eius sanguis  
iterum effundi debet, renouarunt nostri principes.* Sic  
denique in Saxonia Electorali c), Ducatu Saxo-Go-  
thano d), et Altenburgico e), nec non in terris  
Hennebergicis f), Brandenburgico-Culmbacensibus  
g), aliisque pluribus; poena adulterii, lege Mosaica h)  
capitalis, nouis legibus repetita est; quae tamen in  
territoriis Isenacensibus et Vinariensis non obseruatur.

a) Levit. XX. v. 15.

b) Conf. crim. Car. art. 116.

c) Conf. Aug. Elec. XIX. part. IV.

d) Landes-Ordnung de anno 1695. tit. 10. pag. 239.

e) Landes-Ordnung de anno 1742. tit. 10. p. 286.

f) Ordina-

DE LEGIS MOSAICAE VALORE MODIENO. I3

f) *Ordinatio prouincialis in terris Hennebergieis Lib. VIII.*  
tit. 2. distinguit, utrum adulterium prima et secunda,  
an tertia vice perpetratum sit. Si prius criminis huius  
poena in carcere et infamia; si posterius in ultimo sup-  
plicio consistit. Ast in terris Meiningensibus singulari con-  
stitutione BERNARDI ducis poena capitalis est approbata.  
Adiuncta est haec constitutio *Ordin. Prouinc. Henneb.* p. 246.

g) *Corpus constitut. Brandenburg - Culmbacenium Cap. VIII.*  
*Sect. II. Interv. 147. P. 257.*

h) *Leuitic. XX. v. 10.*

§. XIV.

*Imo, an eadem apud nos, uti apud Iudeos, adsit ratio,*  
*Princeps determinat.*

Si apud nos eadem, quae in Iudeorum republi-  
ca erant, circumstantiae existunt; consilii est legem  
retinere Mosaicam (§. XIII.). An vero apud nos eae-  
dem sint circumstantiae, quae huic vel illi legi Mosaicae  
occasionem praebuerunt, imperantis arbitrio determi-  
natur, qui tamen a Lege Mosaica non temere, sed  
probe omnibus consideratis circumstantiis ex ratione  
recedat sufficiente. Quamtuis enim ii, qui in ciuitate  
legislatoria gaudent potestate, in legibus, quas statui  
republicae conuenire credunt, ferendis, externe liber-

tate vtantur haud circumscripta; illi tamen obligantur, leges ferre optimas et sapientissimas. Quales cum sint leges diuinae, si eadem apud nos, vt apud Iudeos circumstantiae existunt, legislatores christianos in conscientia adstrictos putamus, ne temere leges, Mosaicis contrarias, ferant a).

a) Hinc potentissimus Rex Borussiae, quamvis omnes matronorum ob consanguinitatem seu affinitatem factas prohibitions humanas sustulit, sapienter tamen retinuit illas prohibitions, quae ob consanguinitatem seu affinitatem in Lege Mosaica expresse sunt factae.

### §. XV.

*Si autem ratio vel plane ignota vel dubia, mutatio Legis huius Mosaicæ fieri poterit.*

Legislatores a legibus diuinis positivis non temere quidem, ast existente caussa sufficiente salua conscientia recedere queunt (§. 14.). Inter huiusmodi caussas referri quoque potest illa, quum ratio Legis Mosaicæ vel plane ignota, vel valde dubia est, eiusque disposicio pro statu nostrae reipublicae admodum dura videatur. Sic filiabus stupratis poenam lapidationis iure Mosaico

Mosaico *a)* fundatam, non dictitant legislatores nostri. Sic homines Sabbatho, operas suas agentes, poena mortis olim *b)* praescripta, non adficiunt. Sic adulteris extra Saxoniam raro mortis poenam contra legem Mosis *c)* minant. Sic coitum cum menstrua, a Mose mortis poena *d)* notatum, plane impunitum relinquunt legislatores nostri. Sic adcuratissimam talionis poenam, Iudeis *e)* olim dictitatam, noua lege haud repetierunt imperantes, et quae sunt reliqua.

*a) Deuter. XXII. v. 21.*

*b) Exod. XXXI. v. 15.*

*c) Levit. XX. v. 10.*

*d) Levit. XX. v. 18.*

*e) Levit. XXIV. v. 19-20.*

### §. XVI.

*Lex Mosaica ecclesiastica erat Iudeorum, ideoque eorum statui conueniebat.*

Secundum axioma (§. XII.) nos docet, quod lex Mosaica ecclesiastica Iudeorum sit. Ratio, cur Deus simplicem cultum et more pene christiano a maioribus peractum, tempore Mosis commutauit, et Iudeos

Iudeos tanta rituum multitudine obruit, in eo populi  
huius statu, quo olim vixit, potissimum querenda est.  
Vitrebat populus in seruitutem detrusus sub miserrimo  
Aegyptiorum iugo. Horum, tanquam dominorum  
storum aliarumque gentium adiacentium cultus ido-  
lolatrici splendore, rituum varietate, luxum dulcedine  
diurna consuetudine ita capiebantur, ut adsuetam  
eorum omnium memoriam plane exuere non possent.  
Sic, expulsis licet gentilibus, tamen in ipso Dei con-  
spectu in deserto numinis et cultus formam ab Aegyptis  
mutuati, et aureum vitulum more Dei venerati sunt a).  
Ne igitur Iudei, superstitionis Aegyptiorum ritibus,  
a vera religione abhorrentibus, adsueti, in similes inci-  
derent ritus idololatricos: factum est diuina prudentia,  
ut solemnitates religiosas ab omni superstitione puras,  
praescripsit, quibus indomitam Iudeorum gentem  
ab effusa gentilium aemulatione et idolatria quodam-  
modo reuocatam in se convertere voluit b). Deinde  
et Patrum et omnium eorum salus in Christo, quem  
venturum variis figuris adumbrabat legislator Deus,  
ponebatur. Leges itaque, ut huic quoque magno fu-  
turae

turae felicitatis operi conformes, siisque praesagientes  
a Deo Iudeis darentur, necesse erat.

a) Exod. XXXII. v. 4.

b) Legem ceremonialem primario traditam fuisse in remedium  
idolatriae in primis Aegyptiacae fusius demonstrat SPEN-  
CERYS de Legibus Hebracorum ritualibus Lib. I. C. I. Sect. II.

§. XVII.

*Quo statu hodie cessante, cessat lex ipsa.*

Quum autem nunc non solum Christus, quem  
hucusque ritibus significatum adorabant Iudei, ve-  
nerit, et omnes hosce modos, quibus cultus ille Dei  
inuoluebatur, sustulerit; sed etiam purior deinde Chri-  
stianorum coetus non tam effrenato impetu in damnan-  
dos barbararum gentium mores rueret; tam artis pie-  
tatis obsequiique limitibus, uti Moses praescriperat,  
opus amplius non erat, et ideo nouae longeque felicio-  
res determinationes rationi istae, qua Deum venera-  
mur, a Christo Apostolisque dabantur. Determinata,  
qua Deum veneramur, ratio, audit religio (Illustr.  
ENGAV §. 1. Iur. Canon.). Ergo religio lege Mosaica  
descripta hodie exerceri nequit.

C

a) Quic-

¶) Quicquid itaque rationem, qua Deus coli deberet, non determinat, nec ad legem ecclesiasticam pertinet. Peccant itaque Catholici, qui publica ciuilia et forensia negotia, quibus peccatum inest, vel iuramentum accedit, legibus ecclesiasticis determinare non erubescunt. c. 13. X. de iudiciis. In omnibus profecto negotiis et contractibus alter laedi, et omnibus iuramentum accedere potest; ecclesia ergo hocce titulo, si sese recte haberet, cuncta negotia, exemplo matrimonii, ad se trahere valeret.

### §. XVIII.

*Id quod specialius determinatur:*

Quum igitur ratio, qua Deum olim coluere, praecipue ita determinaretur, ut populo in Clerum et Laicum diuiso, inter priorem Pontifex Maximus responcionem Dei et eminentem dignitatem prae se ferens, primum pro suis, dein pro populi peccatis, reliqui sacerdotes et Leuitae omnes sacrificia sua, vbi pridie a Venere abstinuerant, in altari solemniter peragerent, posterior autem populus multas futurae felicitatis umbras, quibus cultus diuinus inuoluebatur, sequi, ac sacerdotibus et Leuitis decimas ex singulari ratione a-

per-

persoluere deberet; sequitur, ut haec omnia ad nostrum cultum diuinum applicari nequeant.

a) Deo olim ex voto, vii Iacobus *Genes. XXVIII. v. 22.* et Regi loco tributi, (*Illustri. ENGAV. Proleg. Iur. Can. §. 9.*) decimas consecrauerunt. Quia nunc Deus in Democratis et Deus et Rex a Iudeis adoraretur; ex vtroque decimas sibi reseruatas sacerdotibus et Leuitis ideo adsignauit, quia his inter fratres fuos nullum peculiare patrimonium reliquit. *Quum erat Numer. XVIII. v. 20. et 21.*

### §. XIX.

*Et ad Catholicorum ecclesiam applicatur.*

Hisce principiis toto agmine obuiam quidem eunt, ast quo iure, hi ipsi videant, Catholici. Adhuc enim hodie populum in Clerum et Laicum diuidunt, immo posteriorum reipublicae nouam priorum rempublicam nouo atisu super addunt a). Pontificem maximum omnibus sanctitatis ac dignitatis titulis superbientem, ac non pro suis, sed sine peccatis pro toto orbe Christiano excogitata sacra peragentem, adorant. Reliqui Clerici hostias et missas tanquam sacrificia in altari consecrato de die in diem solemniter peragunt;

C 2

ideo-

ideoque per omnes vitae dies a Venere abstinere, et sub lege caelibatus gemere tenentur. Laici sine vlo ingenii sui exercitio imperans Clericorum agmen se qui, atque iis decimas variique nominis redditus, licet amplissima iam dum inter fratres suos patrimonia obtineant Clerici, preffo pede offerre coguntur.

a) Licet ecclesia sit collegium aequale in republica, ideoque sub principe existens (ill. ENGAV Proleg. Iur. Can. §. 39.) nihil secius Catholicorum rempublicam in republica singunt, et forum ecclesiasticum, inani distinctione excogitatum, foro seculari anteponunt.

### §. XX.

*Lex Mosaica politica est contingens.*

Tertium (§. XII.) axioma nos de contingentia Legis Mosaicae politicae conuincit. Contingens enim tunc est lex, si mutatis circumstantiis contraria priori propositio obligatoria sanciri debet. Quum igitur status noster politicus multis determinationibus a Iudeorum illo differat; sequitur, vt Legi Mosaicae politicae hodie multas contrarias Leges constituere possint et debeant Legislatores.

### §. XXI.

## §. XXI.

*Ergo mutabilis.*

Patet inde differentia inter valorem Legis Mosaicae ecclesiasticae et politicae hodiernum. Prior nullo (§. XVII.) posterior certo modo (§. XX.) valere potest. Poterit ergo secundum circumstantias legislator homicidae, mortis poena Lege Mosaica digno, vel capitalem, vel mitiorem poenam irrogare *a*). Polygamiam iure Mosaico permisam *b*) prohibere, et necessitate reipublicae suadente rursus permittere. Diuortium, Lege Mosaica facile concedendum *c*) ad certas causas restringere, in quibus tamen determinandis ad Christi verba *d*) potissimum respiciat. Immo, ut verbo multa complectar, omnes Leges Mosaicas positivas sub ea, quam §. XIV. suppeditauit, limitatione permutare potest imperans.

- a)* Inde in antiquis iamdum Germanorum legibus, quamvis Christianorum sacris addictos habeant autores, poena mox pecuniaria, mox capitali notantur homicidae. Sic illustr. a LUDEWIG Reliqu. Tom. IV. p. 180. Diploma de anno MCXCI. adduxit, vbi legitur: *Si ministerialis unum de familiis*

mulis occiderit, compositionem cum Aduocato faciat LX denariorum et ecclesiae hominem restituat. Sic illustr. HEINEC. CIVS Iur. Germ. Lib. II. Tit. XXVI. Leges in Frisia seculo XIV. latas adduxit, quibus cautum, ut quicunque Laicum occiderit in septuplum iudicibus et heredibus condemnetur. Sic SCHILTERVS Exercit. XLIX. §. CXVII. locum statuti Ilmensis oppidi Thuringiaci anno MCCCL scriptum, attruit, in quo haec de homicidio sanctio occurrit: *Wer den andern zu Tode schlet, der sal geben zwei Pfund an dy stadt, und sal ein Jahr rümen.* E contrario capitalem poenam minant IUS PROVINCIALE SAX. Lib. II. Art. XIII. verbis: *Alle Moerder soll man radebrechen -- die einen man schlagen und faben, den soll man allen die Hacupfer abfblagen.* Et IUS PROVINC. SVEVIC. cap. CXIV, verbis: *All moerdeer, die sol man all radbrechen -- Wer ainien man zze rod flecht, oder in beraubet, den sol man allen das Haubt abfslaben.* Ceterum prolixius consuli possunt. L. Bainuar. tit. III. Anglion. I. I. Fris. I. I. Longob. I. 3. 9. 11. L. Sal. XXVIII. XXXVIII. XLIV, seq. L. Ripuar. VII. seq. L. Alam. LXVIII,

b) Permitti posse polygamiam ex eo probare voluerunt viri iisque eruditissimi, quod primo lex naturalis, nisi mediante pacto quis vni solummodo se addixerit vxori, vel se suumque

que statum reddat imperfectiorem, Polygamiae non obster,  
 deinde quod viros eosque sanctissimos eidem dedicos esse  
 relatum legamus, et denique, quod Deus ipse 2. Sam. XII.  
 v. 8. multas vxores Dauidi inter benedictionem suam retu-  
 lerit. Vid. tamen LEYSER. Spec. CCXCVII. med. X. Ma-  
 iorum nostrorum Christi sacris nondum additorum, de  
 Polygamia principia TACITVS de moribus Germanorum  
 cap. XVIII. fistit, verbis: *Quamquam severa illuc matrimonia  
 nec ullam morum partem magis laudaueris. Nam prope soli  
 barbarorum singulis vxoribus contenti sunt, exceptis admodum  
 paucis, qui, non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis  
 ambiuntur.*

e) Deuteron. XXIV. v. 1.

d) Matth. V. v. 32.

### §. XXII.

*Continuatio Sphi antecedentis.*

Terra Israelitarum, si ingentem incolarum nu-  
 merum respexeris, admodum angusta erat. Agri  
 familiae cuidam sorte prima acquisiti, aut innumeris  
 diuisionibus minuebantur, aut, deficiente posteriorum  
 multi-

multitudine, in vnum coalescebant. Nummis ac mercatura non adeo diuites florebant *a*). Non itaque mirum fuerit, tenuioris fortis homines vel miserrimam vitam asturos, vel inopia prorsus perituros esse, nisi eorum ipse Rex et Deus Israelitas suos, vno sanguine vna eademque potenti manu in tantum populum cretos, aequali felicitate beatos esse voluerit *b*). Ut itaque frater, et si inops, cum alio viuere, suisque rebus, quanquam oppignoratis, vti possit *c*); Deus expressa lege visuram de rebus mutuo datis a fratribus accipiedam prohibuit *d*), et pignora, in securitatem crediti data, ante solis occasum debitoribus restitui iussit *e*). Cui legi, et si more suo seuere inhaereat Ius Canonicum *f*) nostri tamen Legislatores, quum ciues suos in longe aliis circumstantiis viuentes videant, vim suam contrariis legibus *g*) sapienter adimerunt. Sic, licet Deus in filium, parentibus maledicentem *h*), vel saltem eorum nutui non obtemperantem *i*), disertis verbis capitalem poenam statuerit; nihilosecius veneranda Theologorum Ienensium Facultas anno MDCXL, de eiusmodi filio puniendo consulta *k*), longe aliter respondit,

et

DE LEGIS MOSAICAE VALORE HODIERTO. 25

et tales Leges Mosaicas politicas hodie mutabiles, et  
legislatores nostros minime obligantes esse, contendit.

a) Vid. SPENCERVS de Legibus Ebraeorum ritualibus Lib. I.

p. 258. seq.

b) Exemplum extat in Numer. XXXIII. v. 54.

c) Hasce rationes ipse Deus Exod. XXII. v. 27. et Leu. XXV.  
v. 36 declarauit.

d) Exod. XXII. v. 25. et Deuteronom. XXIII. v. 19.

e) Exod. XXII. v. 26.

f) c. 3. et 4. X. de usuris

g) REGI IMPER. de anno 1600. §. 139. et de anno 1654.

§. 174.

h) Exod. XXI. v. 17. et 21. et 22. et 23. et 24. et 25.

i) Deuteronom. XXI. v. 18. 19. 20. et 21. et 22. et 23.

k) Extat integrum Responsum in STRVLLI Synt. Iur. Civil.

Exco. XLIX. Thes. LXXXVIII. ex quo haec sollempniter

memoro verba: Dass in äusserlicher Bestrafung dieser und

anderer Uebelthaten die weltliche Obrigkeit ihre gewisse von

Kayser Carolo V. und sonst geordnete Gesetz und peinliche

Hafß-Gerichts Ordnung habe, nach welcher sie sich zu richten,

Gewissense halber aber nicht verbunden sey, nach denen im

D

Gesetz

Gesetz Moses dem Jüdischen Volck und Lande gemachten Straf-Gesetzen praeceps und aufs allergenaueste sich zu confirmiren und zu richten; sitemahl dieselben Gesetz, so man iudiciales und forenses nennt, größtentheils mit der Jüdischen Polizey selbst im neuen Testamente aufgehoben, und bergegen die Christen an die ordentliche Obrigkeit von Christo und den Aposteln angewiesen etc. — immassen auch Herr Luther hiervon kann nachgelesen werden Tom. II. Jenens. germ. f. 480<sup>s</sup>.

## §. XXIII.

Et dispensabilis.

Quoniam itaque Legislatores nostri mutatis circumstantiis contraria legi Mosaicae leges statuere et possint et debeant; (§. XXI. XXII.) sequitur, ut hoc ius mutandi Legem, et intuitu totius reipublicae, et intuitu certae cuiusdam personae exercere valeant. De priori §phis antecedentibus egimus. Posteriorem autem actum dispensationis nomine insignimus. Principi ergo ius intuitu Legis Mosaicae dispensandi vindicatum est a).

a) Ab hocce iure dispensandi seernendum sedulo est ius poenas lege determinatas suadente causa mitigandi. Prius legis-

legislatoris et Principis, posterius iudicis prudentis potissimum opus est. Evidem nulla lex ita cruda est interpretanda, ut delicta ex imbecillitate aetatis et intellectus vel plane fortuito commissa uno eodemque rigore, ut crimina dolo perpetrata, plectenda esse statuat. Nec in iis diversitate circumstantiarum mitigandis Iudee se Legi praeber clementiorem, aut eandem mutat, vel tollit, vel de illa dispensat; sed solummodo secundum verum moralitatis gradum legem ad casum obuenientem sapienter applicat.

§. XXIV.

An etiam in gradibus prohibitis?  
Si verum est, ut equidem sentio, quod, exceptis adscendentibus et descendantibus, Iure Naturali absoluto in nuptiis contrahendis nulli dentur gradus prohibiti *a*), sequitur, ut prohibitio Mosaica circa nuptias ineundas tantummodo secundum circumstantias populi Iudaici ex regulis sapientiae a Deo sit constituta *b*). (§. IV.) Si hoc, etiam haec lex Mosaica positivae nomine iure suo insignitur (§. IX.), Prono inde alueo fluir, ut etiam hae leges (per §. XX. XXI. et XXIII.) sint contingentes, mutabiles, dispensabiles. Quia vero

D 2

ratio-

rationes huius prohibitionis, quas Deus ex circumstantiis populi Iudaici collegit, hodierno die suo modo ad nos quoque applicari possunt <sup>c)</sup>; prudentiae legislatiae omnino erit, gradus in nuptiis contrahendis a Mose prohibitos, etiam apud nos repetita lege prohibere.

**a)** Ex idea enim matrimonii omnes illi, qui facultate liberos generandi et educandi gaudent, huius socieratis capaces iudicantur, et nullo ex fundamento, consanguineos, ascendentium tantum et descendenterum inter se matrimonii exceptis, facultatis exercitio inter se prohibitos esse, extorquere quisquam poterit. Vid. illustr. PARLES *Das Nat. et imprimis Medic. philos. de Grad. prohib.*

**b)** Ane promulgationem Legis Mosaicae nulli existebant gradus prohibiti. Quae igitur Deum rationes commouerunt ut noua Lege Iudaeorum consanguineos in propriis ineundis restringeret, disquirunt Doctores. Ex his prae ceteris ista placent rationes, quod Deus liberis occasionem, reuarentiam parentibus debitam violandū, praescindere, consanguineos, vna domo adolescentes, ab illicito Veneris tentamine coercere, ac denique amplissimos omnium familiarum negotia promouere velle videretur. Cum quibus iamdum

s. D

GROTIUS

GROTIUS I. B. et P. Lib. II. Cap. V. certo modo con-  
fensit.  
e) Quod rationes in nota antecedente adductae etiam pro  
nostrae reipublicae statu fundatae esse videantur, inficias ire  
non audeo. Ea enim ex ratione, quod licentia promiscuarum  
nuptiarum occasionem, alias obligationes naturales, quae ex  
statu propinquitatis aut ex generali hominum ad se invicem  
relatione fluunt, violandi, praebere possent; illustr. DAR-  
YES loc. cit. hancce prohibitionem circa nuptias incundas  
Mosaicam Iuris naturalis contingentis nominavit. Sed rali  
modo omnes leges positivae, sapienter determinatae, Iuris  
naturalis contingentis erint.

§. XXV.

Oppositionis remotio.

Si quis legis huius Mosaicae auctorem, Deum  
sapientissimum, nominauerit, atque eas, quas Deus  
sanctissimus constituit, leges hominem mutare posse,  
nefas ac horrendum dictu esse opposuerit; hacce ipsa,  
quam veneramur, diuina numinis sapientia tutus ero.  
Haec enim Ius Naturae ad circumstantias populi Iudaici  
ita adcurate accommodauit, et exinde leges positivias

D 3

adeo

adeo sapientissimas promulgavit, ut mutatis ullius momenti circumstantiis, lex ista amplius applicari non queat *a*); sed potius illa ipsa Dei sapientia mutationem Legis iubere videatur. Leges enim diuinæ, quæ ex suo fine sunt sapientissimæ, tales amplius haud manent, si mutatus reipublicæ status alias poscit leges. Sic poenam, lege Mosaica in fures statutam *b*), apud nos retinere, insipientissimum fore putamus; dum apud nos non avaritia, sed orta ex otio, quo dediti sunt fures, paupertas causâ est furorum frequentiae. Hinc dupli et quadrupli poenam a fure omnibus opibus destituto, quales nostri sunt fures, exigere, idem est ac fures impunitos relinqueret, et ad furandum inuitare.

*a)* Sic cum e. g. Iudeorum massa sanguinea in felicissimis illis a Deo olim adsignatis prouinciis ex variis naturae caussis ad contagiosam squalidam nominis scabiem inclinaret; omnium sapientissimus legislator Deus non solum carnis porcinae ex Medicorum consensu eiusmodi morbos promoventes, usum prohibuit; sed etiam immundis, tali contagio hominibus a ceterorum vitae consortio exclusis, varia etiuationum genera lege praescripsit. Quis autem cessans  
tibus

DE LEGIS MOSAICAE VALORE HODIERNO. 31

tibus hisce circumstantiis leges hasce ipfas, licet diuinias,  
hodie apud nos cessare debere negaturus est?

b) Exod. XXII.

§. XXVI.

Sed abrumpo filum, dum muneris ratio me in  
patriam reuocans, vltiorem disquisitionem in praef-  
fenti haud admittit. Ad aliud igitur tempus prolixio-  
rem huius materiae differo tractationem. Et hoc solum-  
modo addo, nos, dum de legum Mosaicarum valore  
tractauimus, eas potissimum spectasse leges, quae

homines in statu viuentes ciuili

concernunt.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTORANDO

D O M I N O

G E O R G I O G O T T L I E B  
W A G N E R O

D. IO. AVGVSTVS HELLFELD.

*E*x quo<sup>a</sup> postquam nomen tuum in tabulas  
academiae nostrae publicas referri voluisti,  
familiaris mibi factus es, o te cum industria  
non solum, sed et prudentia, id est, recto or-  
dine in litteras incumbentem cognoui. Qua-  
propter hac, quam iniisti, studiorum ratione  
TIBI etiam viam ad eruditionem, quae multis,  
multa quamvis adhibita diligentia, longior et  
difficilior est, breuiorem TIBI effecisti facili-  
remque, ita, ut ingenii gloria celeriter multis

TIBI


ante-

antecellere TIBI contingere. Eius rei testem  
me habes, postquam intra parictes meos, quid  
in iurisprudentia efficere possis, multa eaque  
praeclera dedisti exempla. Pluribus verbis et  
laudibus vti possem, si humanitas TVA longiores  
laudes exspectaret; aut res verba desideraret,  
ac non pro se ipsa loqueretur. Documento  
satis superque esse potest dissertatio, TVO ipsius  
Marte elucubrata. Ex animo TIBI gratulor  
hoc nouum eruditionis specimen, ac simul Do-  
ctoris, qua TE iureconsultorum ordo dignissimum  
putat, lauream. Gratulor quoque Sanger-  
busanis, apud quos iam aliquot abbinc mensibus  
Syndici munere cum laude fungeris, qui que TE

E

in

in sinu suo fouere, et studiorum TVORVM  
fructibus perfrui valde laetantur. Caeterum  
quo patriae rebus eruditione, quam TIBI com-  
parasti, insigni longe inservire possis, valde  
opto, ut supremum Numen, quod TIBI concessit,  
animi et corporis vires in dies augeat, auctasque  
et quam diutissime conseruet. Vale. Dabam  
Ienae d. xv. Septembris CCCCCCLV.



Rönt'

**S**on' ich Dir, Werther Freund, mit unverfälschten Bildern  
Der ächten Freundschaft Reiz, und frohe Regung schildern,  
Die Deine Ankunft mir so unverhofft gemacht,  
Dass heute nichts ~~das~~ Lust in Geist und Seele lacht:  
So würde ganz gewiss die Hölde deiner ~~Wue~~,  
Ein Herz voll Zärtlichkeit und seltner Rührung sehn,  
Die, da Du wiederum, behlängst erwünschtem Glück,  
In unsern Mauern bist, niemals wird untergehn.

**M**it Ruhm erwirbst Du Dir der Wissenschaften Kronen,  
Die Deiner Tugend Heer, und edlen Fleiß belohnen;  
Du zeigst, daß Dich mit Recht das rheure Vaterland,  
Dem Du schon würcklich dienst, zum Syndicus ernant.  
Dein Wohl ist nun gebaut, es steht auf festen Gründen,  
Und Deinen Wünschen fehlt nur noch ein schönes Kind;  
Drum greif bey Seiten zu, ich weiß Du wirst es finden,  
Und zwar so allerliebst, daß viele weidisch sind.

Hiermit will sich dem Hochgeehrtesten Herrn Ver-  
fasser dieser gelehrten Abhandlung zu beharres-  
lichen Wohlwollen bestens empfehlen, und  
Selbigem zugleich seiner aufrichtigst ergebenen  
Freund- und Dienerschaft gehorjamst versichern  
**ANTON KARL ALBRECHT VON FISCHERN,**  
zum Liebenstein in Meinungischen. Oppon.

\* \* E 2

Surgit

**S**urgit in partem mea mens, AMICE,  
Gaudii, ac iungit pia vota, votis,  
Digna quum praestans TIBI virtus offert  
**Praemia lauri.**

Inuocat summa pietate Numen  
Donet ut firmam TIBI sanitatem  
Et TVIS adsit laueatque sancto

Omine coepis.

Sic diu laetus patriam iuuabis;  
Rite sic leges Themidos tenebis;  
Sic TIBI famam capies perennem

Et decus omne.

His Domino PATREVELI suo aestimatissimo,  
quam inter vota et aclamnationes Iuris  
vtriusque Doctor crearetur, effuse lac-  
tarus adplaudit

**C. F. KLEM M I V S**

Sangerh. Thuring.

Oppon.

\*\*\*

**ULB Halle**  
007 469 926

3



VD 18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

natif  
nes  
Fusc

V

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

1755, 9 b  
166.  
INSERTATIO INAVGVRALIS

DE  
**S MOSAICAE  
ORE HODIERTO** 10

QVAM  
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE  
PRAESENDE  
TRI EXCELLEN TISSIMO AC CONSULTISSIMO  
**AUGVSTO HELLFELD**  
SAXO - GOTHANO ET ALTENB. A CONSIL. AVL.  
DECT. ORDIN. CVRIA PROV. FACVLT. IVRID.  
BINAT. ASSESSORE H. T. FACVLT. IVRID.

DECANO  
**GRADV DOCTORIS**

D. XVII. SEPTEMBR. AN. MDCCCLV.  
DITORIO IVRECONSULTORVM  
NTRA DVRIA ERVDITORVM DEFENDET  
AVCTOR  
**VS GOTTLIEB WAGNERVS**  
CIVIT. SANGERHVS. SYNDICVS.



LITTERIS SCHILLIANIS. 6)

